



1

35

36.

37.

A

ba

38

39.

40.

41.





1779, 51  
EXERCITATIO IVRIDICA, 19  
*De consensu creditoris in  
ulteriorem oppignorationem fundi,  
remissionem pignoris non  
inuolvente,*

P. 248  
Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACVLTV. IVRID.  
ASSESS. ET ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XII. AVGVST. MDCCLXXII.

AD DISCEPTANDVM PROPOSVIT

IACOBVS FRIDERICVS STRANTZ

FLAVIA - VARISCVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA





EXERCITATIO IURIDICA  
De consensu creditorum in

actum in rem obligatoriam  
auctoritate  
C. V. A. H.

ILLUSTRISSIMO ORDINI ACADEMIAE  
P. R. A. S. I. D. E.  
D. ERID. GOTTLIEB. ZOLLNERO

IN A. V. D. I. O. I. C. T. O. R. A. M.  
P. R. A. S. I. D. E.

JACOBUS FREDERICUS STRAUSS  
P. R. A. S. I. D. E.

LEIPZIG  
IN OFFICINA J. G. NEUBERGERI  
MDCCLXXXIII

275  
1





VIRIS  
ILLVSTRI BV S, EXCELENTISSIMIS  
GENEROSISSIMIS

D O M I N O  
ADAMO FRIDERICO  
DE WATZDORFF

DYNASTAE IN KAVSCHWIZ, SYRAV ET LEZA,  
IVDICI CVRIAE ET PROVINCIARVM ELECTORATVS  
SAXONIAE SVPREMAE

NEC NON

D O M I N O  
FERDINANDO LIB. BAR.  
DE M V F L I N G  
E GENTE WEISIA

DYNASTAE IN REVSA, CVBICVLI SACRI  
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONICI PRAEFECTO,

DOMINIS, PATRONIS ATQVE FAVORIBVS  
MEIS GRATIOSSIMIS



VIRI  
ILLUSTRISS. EXCELSISSIMIS  
VIRO SVMME VENERABILI, AMPLISSIMO  
DOCTISSIMOQVE  
**GEORGIO FRIDERICO  
STRANTZ**  
SACRARVM LITTERARVM DOCTORI  
CELEBERRIMO  
ECCLESIAE PLAVIENSIS PASTORI PRIMARIO  
ET DIOECESIOS, SVPERINTENDENTI  
GRAVISSIMO, MERITISSIMOQVE

FERRDINANDO CAR BAR  
DE M V F L I N G  
E GENTE WEISIA  
DYNASTAE IN FENSA, CVRICALI SACRI  
P  
PATRI SVO PIE COLENDO

DOMINIS, PATRONIS ATQVE FAVORIBVS  
MEIS, GRATISSIMIS



VIRI  
ILLVSTRES EXCELLENTISSIMI  
GENEROSISSIMI  
NEC NON  
SVMME REVERENDE ATQVE  
DOCTISSIME!

**Q**uaerenti mihi iam dudum occasionem publice  
solemniterque testificandi, quantopere me  
VOBIS Vestrorum in me meritorum  
magnitudine obstrictum devinctumque sentiam, non  
alia vel opportunior vel gratior obtigit, quam quae  
nunc mihi offertur, facultate speciminis litterarü eden-  
di concessa. Cui enim potius commendem has academi-  
corum profectuum primitias, quam VOBIS, quorum  
in me patrociniū iam inde a puero documentis certissi-  
mis cognoui atque expertus sum, beneficia autem pluri-



ma eademque amplissima in me collata, saluberrimas denique admonitiones et consilia sapientissima tam pie colo, ut horum omnium memoriam et nunc quotidie mihi iucundissimam esse, et per omne tempus sanctissimam futuram, palam profitear atque confirmem. Accedit Vestra erga Patrem meum meosque omnes benevolentia, qua Vestrum in me fauorem quanto cumulo auxeritis, quantumque laetitiae mihi hoc animo Vestro allatum subinde fuerit, non reperio, quibus verbis exprimere ac significare possim. **TIBI** autem **PARENS OPTVME!** cui, si a Deo discesserim, et vitam et omnia debeo, quid aliud, quam gratissimi animi sensum cum summa pietate ostendam atque de monstrem, certissime spondens, quaecunque officia parentibus exhiberi fas est, a me **TIBI** nunquam non promittissimo studio praestitum iri? Ita **VOS VIRI ILLVSTRES, EXCELLENTISSIMI** atque **GENEROSISSIMI**, quam diutissime rebus humanis interesse, saluosque ac sospites valere, me autem **VOBIS** perpetuo commendatissimum esse cupio.





§. I.


**I**ura, quae creditor pignore rite constituto acquisiuit, tanta sunt, vt persecutionem contra quemcunque rei possessorem leges non denegent, sed potius adprobent, Naturae etenim iuris in re est consentaneum, vt cessante respectu personae, conueniamus eum, qui rem nobis deuinctam tenet. Exinde euenit, vt oppignoratio pluribus creditoribus facta, non noceat illi, qui primo loco, legitimo tamen et legibus probato modo securitatem consequutus fuit, cum debitor facto suo, iuri alterius quaesito, praeiudicium inferre, multo minus eius conditionem deteriore reddere nequeat. Quae cum luce meridiana sint

51

A

cla-





clariora, et quaestioni tantum Domitianae occasionem praebent, ulterius non tangamus, sed ad aliam quaestionem, circa quam interpretes legum civilium disceptationem mouent, accedamus.

### §. II.

Vt vero lectori appareat, quid sit, de quo dubitamus, sequentem fingere licebit casum. Caius fundum suum Seio, cui summam mille thalerorum debebat, oppignorauit, iudicisque consensum eo quo decet modo impetrauit; post interiectum temporis spatium hypothecam in eodem fundo, consentiente Seio, constituit Paulo, et ut is ad concurrentem summam ius in re consequatur, effecit. Decedit Caius obaeratus. Moxo concursu et concurrentibus pluribus creditoribus, utrum Seius, qui in ulteriorem oppignorationem consensum praestabat, in totum ius suum remiserit, vel an tantum de eo, quod in fauorem Pauli prioritati renunciauerit, dici queat, quaestio mouetur.

### §. III.

Non equidem negamus, creditorem pignus sibi constitutum remittere posse, cum expediri sit iuris, quemlibet fauori pro se introducto renunciare posse. Nec dubitamus, quod haec renunciatio tam expres-

se



se quam tacite fieri possit, cum voluntatem nostram  
 verbis pariter quam factis declarare queamus, et ta-  
 citi eadem in iure sit efficacia, quam expressi. Id  
 tamen defendere audemus, non omne factum esse  
 sufficiens ad declarandam voluntatem, sed vt sit li-  
 quidum, id est, tale, quod omne dubium contra-  
 riae voluntatis tollit, desideramus. Commune enim  
 hoc est vitium, vt, si factum obueniatur, in circum-  
 stantias illud concomittantes non vltius inquiramus,  
 sed exinde voluntatem hominis absolute colligamus.  
 Exemplum praebet laceratio chirographi,  
 cui tantum tribuimus effectum, vt remissionem debiti  
 a creditore factam absolute adfirmemus. Fefellit  
 nos forsitan l. 2. §. 1. *de pact.* vbi Paulus adserit,  
*si reddiderim debitori meo cautionem, inter nos  
 conuenisse videtur, ne petere, profuturamque de-  
 bitori conuentionis exceptionem placuit.* Sed dubito  
 vtrum Ictus ex hoc facto remissionem debiti abso-  
 lute asserere voluerit, quum verbum *videtur*, quo in  
 decidenda causa vtitur, id tantum indicet, vt praesum-  
 ptio liberationis pro debitore militet, quae tamen,  
 vt in regula de omnibus praesumptionibus  
 praedicamus, probationem in contrarium admittit,  
 cum praesumptio semper veritati cedat. Conuenit  
 hoc, quod defendimus, naturae rei. Quo iure  
 enim adfirmamus, per redditionem chirographi cre-





ditorem remisisse debitum, eodem quoque dicere licet, creditorem chirographum eo animo eademque intentione reddidisse, vt demonstrare vellet, quod nudis debitoris verbis habeat fidem, et de integritate mentis, non retenta scriptura satis sit conuictus. Factum itaque tali modo cum semper maneat incertum, quomodo quaeso de certa creditoris voluntate, nisi fictioni relinquas locum, iudicium ferre poteris. Et ne sine lege loquamur, quod erubescendum ICTO; sententiam sua auctoritate confirmat Modestinus *l. 24. π. de probat.* *Si chirographum, inquit, cancellatum fuerit, licet praesumptione debitor liberatus esse videtur, in eam tamen quantitatem, quam manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostenderit, recte debitor conuenitur.*

§. IV.

Quibus praesuppositis, quid de consensu, quem creditor in vltiorem oppignorationem dedit sentiendum et quale ex hoc facto ferendum sit iudicium videamus. Expediti iuris est, consensum, quem creditor, vt debitor fundum hypothecae obligatum distrahere possit, suppeditat eum producere effectum, vt pignus constitutum penitus cesset, et tertius huius fundi possessor actione hypothecaria conueniri nequeat. Ait enim VI-  
pia-



pianus l. 4. §. 1. π. *Quib. mod. pign. vel hypoth. solu.* Si in venditione pignoris consenserit creditor, vel ut debitor hanc rem permutet, vel donet, vel in dotem det, dicendum erit pignus liberari, nisi salua causa sui pignoris consensit: cum quo etiam conuenit effatum Gaii l. 158. π. de R. I. Creditor qui permittit rem venire, pignus dimittit. Nec alienus ab hac sententia est Imperator Seuerus et Antoninus l. 2. C. de remiss. pign. Si probaueris, inquit, te fundum mercatum possessionemque eius tibi traditam sciente et consentiente ea, quae sibi eum a venditore obligatum dicit: exceptione eam remouebis. Nam obligatio pignoris consensu et contrahitur et dissoluitur. Duo tamen sunt necessaria, ut creditori distractio fundi oppignorati noceat. Alterum est, ut expresse consensum declaret, nuda enim scientia, quod debitor bonum alienare velit, praecudicium minime infert, nec pignus tollit. Ex quo patet, factum, ut in antecedentibus diximus, debere esse liquidum et certum, ut de voluntate non moueri possit dubium. Probant hoc l. 8. §. 15. π. *Quib. mod. pign.* Non videtur dicit Ictus consensisse creditor, si debitor sciente eo rem vendiderit, cum ideo passus est rem venire, quod sciebat ubique pignus sibi durare sed si subscripserit forte in tabulas emtionis consensisse videtur, nisi manifeste adpa-



reat, deceptum esse, quod observari, oportet, et si sine scriptis consenserit. Alterum, quod requirimus, in eo consistit, ut alienatio iure subsistat, et pro valida habeatur. Quod si enim distractio fundi oppignorati eius est conditionis, ut nullitate laboret, et emtor contra venditorem ad implendum contractum agere nequeat, praeiudicium creditor ex consensu, quem sponte dabat, minime animadvertit.

§. V.

Ob stare forsan videtur, quod is, qui consentit contractui super re quadam inuito, vel eiusdem alienationi, hoc ipso censetur renunciare iuri, quod in ista re habuit; qua propter magistratus, qui in aedibus venditis pacto sibi ius protimiseos reservavit, illud penitus amittit, quando postea in novam alienationem consentit, et tertium possessorem his aedibus inuestit. *Carpzou. Resp. lib. V. Tit. V. resp. 39.* Consentiens etenim, omni suo iuri, quo actum illum, in quem consentiebat, quovis modo impedire poterat, renunciasse, ac negotio validissimum robur addidisse censetur. Quod si vero ad semel renunciata non detur in regula regressus, et alteri contrahentium, altera parte inuita a pacto recedere non competat licentia,




tia, quid quaeso interest creditoris, vtrum alienatio fundi oppignorati valeat, nec ne, cum sufficiat illum renunciaſſe iuri, et fundum ab obligatione liberaſſe, quae ſi ſemel eſt exincta non reuiuſcit, niſi de nouo conſtituatur.

§. VI.

Sed quamuis haec ſpeciem veritatis promereri videantur, in aliam tamen vt abeamus partem natura negotii pariter, quam auctoritas legis deſiderat. Omnis nempe renunciatio tacite in ſe continet clauſulam, rebus ſic ſtantibus, cum ſua natura non generaliore ſed ſtrictiore interpretationem patiat, et ſecundum intentionem illius, a quo fit, fit intelligenda. Quo praefuppoſito, nunc paulo penitus conſideremus creditorem; Is dum conſentiebat, et eo ipſo iuri competenti renunciabat, exiſtimabat vere ſubſiſtere alienationem. Haud enim praefumendum eſt, aliquem velle conſentire in negotium, de quo, quod exitum habere nequeat, eſt conuictus. Aut igitur debitor ſciuit alienationem eſſe inutilem, et dolo induxit creditorem ad contrahendum, aut in ignorantia verſatur. In priori caſu nullum percipere poteſt emolumentum, cum dolo non patrocinentur iura, et ex lege 8. §. 15. π. quib. mod. pign. creditor, ſi ma-  
 niſeſte





nifelle doceat, se esse deceptum, pro consentiente non habeatur. In posteriori vero casu negotium quod est nullum, effectus producere nequit, hinc alienatione non existente salva manent iura creditoris. Adfuit huic decisioni Ulpianus l. 4. §. 2. π. d. t. — Belle, dicit, quaeritur, si forte venditio rei specialiter obligatae non valeat, an nocere haec res creditori debeat, quod consentit, ut puta si qua ratio iuris impediat venditionem? Dicendum est pignus valere.

#### §. VII.

Sed an idem de consensu, quem creditor in ulteriorem oppignorationem dedit, sit dicendum, videamus. Diuersum pariter et fluctuans est Ictorum circa decisionem huius causae iudicium. Nonnulli conditionem foeminarum haec in parte meliorem esse credunt, quam masculorum, et respectu illarum, quas ignorantia iuris excusat, remissionem prioritatis tantum, respectu horum vero remissionem totius iuris praesumunt. Salycetus, quem sequitur Brunnemannus in Commentar. ad Cod. l. 3. C. de remiss. pign. quoad masculos distinguit, an scilicet creditor, ut rem aliis indefinite debitor obliget, vel utrum ut certae cuidam personae ulterius oppignoret, consenserit. Si prius, rem



❁   ❁   ❁   ❁

rem ab omni nexu pignoris solutam defendit, fin autem posterius, in fauorem posterioris creditoris, priorem ius prioritatis remisisse concludit. Cui etiam adstipulatur *Hartmanni Pistor. P. III. qu. 26. Bachov. ad Treuter. Vol. II. disp. I. th. 9.*

§. II X.

Ast hae distinctiones nihil efficere mihi videntur. Cur enim foeminae hac in parte meliorem conditionem, quam masculi promereantur, certe nulla dari potest ratio, nisi cum Iuliano *l. 20. ff. de legibus* dicere velis: *Non omnium, quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest.* Solam namque hanc esse opinionem Doctorum, quae nullam legis dispositionem agnoscit, nemo est, qui dubitabit, nec Bartolus iuris auctoritatem allegare potuit. Idem etiam dicendum est de sententia Salyceti et Brunemanni. Differentia etenim, vtrum creditor indefinite vel intuitu certae personae consensum in oppignorationem praestitit, pondus rei minime addit, nec decisionem, quam tanta cum audacia Interpretes defendunt, suppeditat, sed coniecturam tantum vagam satisque incertam praestat, ad quam praesertim si de praecudicio alterius agatur, minime prouocare solemus.

B

§. IX.



Alii indistincte adfirmant, consensum in vlti-  
 riorem oppignorationem id efficere, vt creditor  
 penitus iuri renunciauerit suo, et fundum ab hy-  
 potheca sibi competente liberum esse voluerit. Col-  
 ligunt hoc ex vocabulo *venditionis*, quo vtitur Ictus  
*in l. 4. §. 1. π. quib. mod. pign.* et hoc verbum  
 omnem alienationem, quocunq; modo haec con-  
 tingat, indicare putant. Praefidio illis inseruire de-  
 bet *l. 4. C. de reb. alien. non alienand.* in qua da-  
 tio in solutum pro specie venditionis habetur.  
*Mancipia*, ait Imperator, *patris, qui fundum a Phi-*  
*lippo conduxerat, successione tibi quaesita, domino fun-*  
*di pro debitis in solutum mater tua dando, nihil auferre*  
*potuit. Ideoque si tu maior viginti quinque annis*  
*effectus, ab ea negotium gestum non fecisti ratum: ob-*  
*lato debito, si non haec locator iure pignoris sibi obli-*  
*gata vendidit, petere poteris.*

## §. X.

Sed quamuis negare non possum, verbum alie-  
 nationis latiore recipere significationem, ita vt  
 quamlibet translationem rei in alterum factam con-  
 tineat. Alienationis enim vocabulum teste Paulo  
*l. 28 π. de Verb. signif.* vsucapionem continet, *vix*  
*est enim, vt non videatur alienare, qui patitur vsuca-*

pi



pi: imo is quoque alienare dicitur, qui non utendo ami-  
 sit seruitutes; non tamen consentio, quod illud etiam  
 de vocabulo venditionis, cuius mentionem fecit  
 Paulus in dicta lege quarta, sit sentiendum. Distin-  
 guendum utique est inter alienationem, quae est ge-  
 nus et venditionem tanquam speciem alienationis.  
 Id equidem quod de genere dicitur ad species, quas  
 genus comprehendit, recte adplicare possumus, sed  
 non inuerso ordine, id quod de vna vel altera specie  
 dicimus, de reliquis speciebus praedicare licet.  
 Quod si itaque Icti mens fuisset, vt consensus in  
 alienatione interpositus inuolueret amissionem pigno-  
 ris, certe non vsus fuisset vocabulo speciali vendi-  
 tionis, eo ipso vero liquido probatur, sententiam eo  
 directam esse, vt tantum de certa alienationis spe-  
 cie haec decisio sit intelligenda.

## §. XI.

Potiori itaque iure defendere fas est, quod cre-  
 ditor, qui debitori, vt fundum tertio oppignoret,  
 permisit, prioritatem amittat, ius vero pignoris re-  
 tineat, quod sequentia probare poterunt argumenta.  
 In omni scilicet conuentione ad id potissimum est  
 respiciendum, quod inter partes actum, hoc enim  
 natura pariter negotii, quam aequitas desiderat.  
 Hinc Vlpianus l. ii. §. i. de action. emt. iubet, vt in  
 hoc





hoc iudicio id deducamus, quod inter partes actum est, addita ratione, quod nihil magis bonae fidei congruat, quam id praestari, quod inter partes conuentum est. Praesens negotium si paulo penitius considerare velis, respiciendum est ad verba, quibus creditor interrogatus in vltiorem oppignorationem consentiens usus fuit. Quod si haec ita sint comparata, vt constet voluisse fundum a pignoris nexu liberare, secundum eius intentionem, interpretationem vt faciamus, necesse est. Ast si de eo non constet, cur iudicium contra illum in sinistram partem ferre velimus, non possum penetrare. Cum enim nihil tam sit naturale, quam vt negotium eodem quo coaluit modo dissoluatur, in aprico est positum, pignus, tam creditoris quam debitoris consensu constitutum, vtriusque partis dissensu rursus esse tollendum. Vnde vero quaeso colligere poteris consensum creditoris, qui humanitate vel amicitia commotus, debitori vltiorem oppignorationem permisit, hoc enim inuoluit eius consensus, sed de amissione totius iuris nunquam cogitauit, nec cogitare de eo poterat. Debitor etenim non desiderabat liberationem pignoris, sed eius tantum erat intentio, ne creditoris contradictio ipsum a contrahendo aere alieno detineret. Cum itaque circa hanc quaestionem non inire voluerint partes conuentionem,



nem, inutilis est interpretatio, quam menti contrahentium contrariam suscipimus. Potius imputet sibi debitor, quod clariorem huius rei declarationem a creditore non exegerit.

§. XII.

Cui accedit, quod renunciaciones stricti sint iuris, nec praesumantur aut intelligantur, nisi ex manifestis appareant verbis. Quotiescunque etenim de alicuius singulari praecudio agitur, toties eius expresso et speciali consensu opus est. Hanc ob causam fideiussor, qui generaliter omnibus renunciauit beneficiis, non amittit exceptionem ordinis et diuisionis, nisi ille de illis in renunciatione specialiter cogitauerit. Obiicies forsitan, sententiam nihilominus esse dubiam, et exinde non certum ferri posse iudicium. Ast hoc nobis non obstat, sed potius decisionem defendit. Cum enim secundum legum auctoritatem in dubio benigniora sint praeferenda, ea vero, quae conseruant iura intacta, pro benignioribus haberi, liquido constat, iudicium quo creditori ius pignoris retinemus et factum illiquidum inuoluere amissionem huius iuris denegamus, iuri pariter et acquitati esse conueniens.

§. XIII.

Nec est cur dubitemus, cum ipsae leges nobiscum consentiant. Prouocamus ad essatum Mar-



ciani l. 12. §. 4. π. qui potior. in pign. Si tecum de hypotheca paciscatur debitor, deinde idem cum alia tua voluntate; secundus potior erit. Pecunia autem soluta secundo, an rursus teneatur tibi recte quaeritur? Erit autem facti quaestio agitanda, quid inter eos actum sit, verum ut discedatur ab hypotheca in totum, cum prior concessit creditor, alii obligari hypothecam: an ut ordo seruetur, et prior creditor secundoloco constitutatur? Vides ex hac lege ad intentionem contrahentium esse respiciendum, et nisi liquido constet, creditorem voluisse liberare fundum a nexu pignoris, sententiam mitiorem, quae conservat iura creditoris, esse praefendam.

#### §. XIV.

Contrarium statuere videtur l. 12. π. quib. mod. pignus etc. in qua Paulus respondet, Sempronium antiquiorem creditorem consentientem, cum debitor eandem rem tertio creditori obligaret, ius suum pignoris remississe videri, non etiam tertium in locum eius successisse, et ideo medii creditoris meliorem causam effectam. Si haec lex suppeditaret regulam, uti plerique interpretes existimant, vera occurreret antinomia inter hanc et legem 12. §. 4. π. qui potior in pign. At cum nunquam crediderim, existere leges obstantes,



tes, cum Imperator Iustinianus expresse confiteatur, se omnem fustulisse dissonantiam, arte hermeneutica adhibita statim apparebit, vtramque valere dispositionem nec sibi inuicem contradicere *Lex 12.* nempe §. 4. proponit regulam generalem, quod in casu, si creditor in vltiorem oppignorationem consentiat, consideranda sit eius intentio, et si constat, eam fuisse, vt penitus cesset ius pignoris, contra eundem pronuntiandum esse adferit; ait *l. 12. π. quib. mod. pign.* continet casum huic regulae convenientem. Primus creditor, qui consentiebat, vt debitor fundum sibi obligatum tertio oppignoraret, suo facto conditionem secundi creditoris, qui consensum nunquam praestiterat, non poterat reddere deteriorem, cum nemini inuito praeiudicium inferendum, multo minus ius legitime quaesitum, sit auferendum. Quod si vero consensui tribuimus effectum, vt creditor tantum prioritatem remiserit, medius creditor ab omni culpa immunis, ingens sentiet damnum, quippe qui tam primo, quam tertio creditori cedere et vltimum locum occupare tenetur, et eo ipso, si fundus ad satisfaciendum minus esset sufficiens, sortem bona fide creditam amittit. Cum itaque primus creditor sciret, quod secundo nocere non possit, de remissione prioritatis, quae inutilis erat, nunquam cogitare potuit, voluit tamen, vt consen-






sensus interpositus praestet effectum, aut deficit penitus, nisi declarationem ad remissionem totius pignoris trahamus, ergo hoc factum et circumstantiae illud concomitantes, iuxta regulam in lege decima secunda §. 4. propositam, sinistram contra illum interpretationem operatur.

§. XV.

Iure Saxonico omnem controuersiam, quae in legibus romanis obuenebat, sublatam esse scimus. Legislator enim Saxonicus expresse disposuit, ut consensus a creditore in vltiorem oppignorationem factus, nisi de remissione pignoris specialiter partes conuenerint, tantum quoad remissionem prioritatis effectum obtinere debeat. Huc spectant verba Ord. Proc. Tit. XLVI. §. 10. *Darum wollen wir, das dergleichen Bemilligung, wenn nicht erwiesen wird, das ein anderes abgeredet sey, allein auf die Prioritaet zu verstehen, und derowegen der, welcher bewilliget, wann derjenige Gläubiger, deme zumm besten er gewichen, bezahlet, gegen die andern sich seines Pfandrechts gebrauchen möge.*






ULB Halle

3

005 361 834











1772, 51

EXERCITATIO IVRIDICA, 17  
*De consensu creditoris in  
ulteriore oppignorationem fundi,  
remissionem pignoris non  
inuolvente,*

Q V A M

P. 278

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISE. CAPITVL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACVL. IVRID.  
ASSESS. ET ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XII. AVGVST. MDCCLXXII.

AD DISCEPTANDVM PROPOSVIT  
IACOBVS FRIDERICVS STRANTZ

FLAVIA - VARISCVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

